

De provinciarum p. R. conditione quamvis doctissimi viri multa in universum quaesiverint, tamen tantum abest, ut de unaquaque quaestio sit instituta, ut plurimarum ratio ad hunc diem fere lateat. In harum numero etiam Cilicia ponenda est, quae provincia, quamquam alias quasdam majores atque opulentiores fuisse non iguoro, situ certe ita insignis est, ut consideratione accuratiore haud indigna videatur. Jacens enim inter Asiam minorem et Syriam, Tauro et Amano montibus continetur, qui paucis modo angustiis et iis difficilibus transitu superari possunt, quo factum est, ut omnium motuum, quibus gentes Asiae ad occasum vergentis excitarentur, ab Assyriorum tempore particeps fuerit. Per illam regionem ut Persae contra Graecos et hi Cyrum minorem sequentes contra illos profecti sunt, ita medio aevo milites rei Christianae propugnatores iter fecerunt; ibidem Alexander Magnus Darium ultimum Persarum regem devicit, ibidem saepe ab Alexandri successoribus saepe a Romanis pugnatum est, ibidem postea imperatores Byzantii cum Sassanidarum et Saracenorum ducibus manus conseruerunt, ibidem nostro saeculo Ibrahim Aegypto praefectus, quum seditionem in imperatorem Turcicum commoveret, diu impetum hostium sustinuit. Quod deinde ad commercium attinet, Ciliciam in littore maris mediterranei aptissime sitam

esse inter omnes constat. Cultura etiam agrorum antiquitate saltem maxime florebat, at recentiore tempore Turcis regnantibus in desertum fere omnis mutata est. Neque tamen injuria is, qui illam regionem novissime descripsit, dixisse videtur: Ciliciens Weltstellung weiset ihm auch einen Weltberuf, sei es über kurz oder lang, in den immer mehr und mehr sich gegenseitig befreundenden Verhältnissen des Orients und Occidents an, zu welchem die Erinnerung an eine ältere Vergangenheit als eine glänzende Folie unterliegt [1]).

Cilicia natura ipsa in duas partes dividitur, quarum unam ab Lamo usque ad Pamphyliam pertinentem Ciliciam asperam, alteram ab illo fluvio usque ad Syriam patentem, campestrem vel propriam jam veteres nominaverunt. In hanc partem, quae campis agrisque fertilibus abundat, antiquissimis temporibus a Phoenicibus coloniae deducebantur [2]) et aliquanto temporis interjecto a Graecis [3]). Quarum numerus, postquam Alexander Magnus Persarum imperium subvertit, non mediocriter auctus est, maxime autem sub regibus e gente Seleucidarum [4]), quo factum est, ut eo tempore, quum Romani Ciliciam in provinciae formam redigerent, pleraeque urbes in ora maritima et in Cilicia campestri sitae a Graecis habitarentur. Veteres Cilices in montes Tauri et Amani paulatim se receperant, ubi sub nomine Eleutherocilicum [5]) latrocinantes diu ad suum arbitrium vive-

1) Kiepert in libro Ritteri Kleinasien II. p. 227. Hoc loco mihi liceat illo viro clarissimo, de rebus geographicis optime merito, pro libro, quem nondum editum benigne mecum communicavit, gratias agere quam plurimas.

2) Movers Phoenicier II. 2 p. 167, 173.

3) Strabo XIV. p. 671, 675. Polyb. exc. de leg. 25. Liv. 37, 56. Arrian. II. 5. Steph. Byz. s. v. Tarsus.

4) De urbibus sub Seleucidis in Cilicia conditis cf. Droysen Gesch. des Hellenismus II. p. 680 s.

5) Steph. Byz. s. v. Ἐλευθέρα Κιλικία.

bant. Neque alia conditione Ciliciae asperae incolae utebantur, qui latrociniis terra marique jam dudum assueti, quum imperium Selencidarum dilaberetur, magis magisque piraticam exercebant. Illo tempore Diodotus cognomento Tryphon, postquam contra Antiochum VI seditionem conflavit, Coracesium, extremum Ciliciae asperae oppidum, in praerupto saxo situm, militibus oppugnavit, unde Cilices sollicitaret, ut societates piraticae causa inirent, itaque Tryphon primus auctor piraticae a Cilicibus factae a Strabone nominatur [6]). Altera causa fuit socordia regum, qui tunc Syriae simul et Ciliciae praeerant; quum enim inter se dissiderent fratres regii, terram hostibus diripiendam concedebant. Maxime autem ad piraticam invitavit mancipiorum exportatio, quippe quae esset sumptuosissima, nam et facile mancipia capiebant nec procul aberat Delos, maximum emporium, ubi, ut Strabo ait, singulis diebus decem millia servorum vendebantur, ut in proverbium venerit: (Strabo ibid.) *Ἔμπορε, κατάπλευσον, ἐξελοῦ, πάντα πέπραται.* Cujus rei oausa fuit, quod Carthagine et Corintho deletis Romani gliscente luxuria magnis servorum gregibus uti coeperunt, qua re cognita piratae confertim latrocinia fecerunt, eoque facilius, quod Cypri et Aegypti reges Seleucidis inimicissimi praedonibus favebant.

Romanis, quoad non ipsi a praedonibus maritimis premebantur, ea quae in maris mediterranei orientali parte et extra Taurum fiebant, curae non erant, neque facile est Romanos negligentiae accusare, quod aliis rebus detenti, regiones illas remotissimas parum curabant. Optima autem praedonum, de quibus loquimur, receptacula fuerunt Creta et Cilicia aspera. Ceterum jam anno 611 a. u. Romani Scipionem Aemilianum in Ae-

6) p. 668. *τοῖς δὲ Κλίξιν ἀρχὴ τοῦ τὰ πειρατικὰ συνίστασθαι Τρύφων αἴτιος κατέστη.*

gyptum Syriamque miserant, qui reges cohortaretur, ut latrociniis Cilicum finem imponerent.

At verba adversus piratas nihil profuerunt, qui nisi armis belloque opprimi non poterant. Dum igitur Senatus Romanus ad latrocinia comprimenda non aggreditur, Romani mercatores Deli negotiantes mancipia permulta a piratis emere solebant. Tandem a. 652 a. u. contra illos expeditio missa est, cui M. Antonius praetor, triumviri avus, consulari potestate praeerat [7]). Cujus classis maxima pars, quum Romani bellis Punicis confectis Graeciaque subacta classem propriam, quam in mare mitterent, non haberent, ex sociorum imprimis Byzantiorum navibus constitit [8]). Qua expeditione quid Antonius effecerit, non traditum est, nisi de piratis triumphasse, itaque Mommsenius non recte scribit initium Ciliciae in provinciam redigendae factum esse locis quibusdam ab Antonio in Cilicia aspera occupatis [9]). Ciliciae provinciae originem aliam fuisse statim docere conabimur.

---

7) Cic. de orat. I 18. Cic. Brut. 45, 168. M. Gratidins, M. Antonii perfamiliaris, cujus praefectus quum esset in Cilicia, est interfectus. cf. Liv. ep. 68.

8) Tac. annal. XII. 62 missas copias in Antiochum, Persen, Aristonicum et piratico bello adjutum Antonium.

9) Mommsen römische Geschichte II. p. 132. Die Flotte unter Antonius brachte nicht nur eine Anzahl Corsarenschiffe auf und nahm einige Felsennester aus, sondern die Römer richteten hier sich sogar für die Dauer ein und besetzten zur Unterdrückung des Seeraubs in dem Hauptsitze desselben, dem rauhen oder westlichen Cilicien, feste militärische Positionen, was der Anfang war zur Errichtung der seitdem unter den römischen Aemtern erscheinenden Provinz Cilicien. Neque haec causa probanda est: Die römischen Expeditionen dieser Zeit gegen die Corsaren wie z. B. die balearischen, ligurischen, dalmatischen Feldzüge, erscheinen regelmässig gerichtet auf Besitz der Küstenpunkte, von wo der Seeraub ausging; natürlich, denn da die Römer keine stehende Flotte hatten, war das einzige Mittel dem Seeraub zu steuern, die Besetzung der Küsten."

§. 1.

De provincia Cilicia usque ad bellum Mithridaticum confectum a. u. 692.

Attalo III rege Pergami mortuo quum regnum ejus hereditate ad Romanos venisset, e cujus hereditatis parte maxima Asia provincia constituta est, Phrygia primum Mithridati V Ponti regi tradita post ejus mortem (634 a. u.) libera declaratur, Phrygiaeque pars meridionalis, continens urbes Laodiceam, Apameam, Synnadam et Pisidia postea nomen provinciae Ciliciae acceperunt.

In eam provinciam Sulla, quum a. 661 a. u. praetor fuisset anno sequenti propraetor missus ab rerum scriptoribus traditur, ut Ariobarzanem regem e Cappadocia pulsum in regnum restitueret [10]). Ceterum provinciae, ad quam ante 666 a. u. Pamphyliae pars quaedam pertinebat, tunc Phrygiae quoque nomen fuisse videtur, quod quidem ex Livii epitome 77 concludimus: Phrygiam, provinciam p. R. cum ingenti exercitu Mithridates intravit.

Provinciam Ciliciam exstitisse anno 674 a. u. certiores facti sumus, quo anno et sequenti Cn. Dolabella propraetor Ciliciae fuit, dum C. Nero Asiae praefectus

---

Ubi autem Antonius oras Ciliciae occupasse dicitur? neque demonstrari potest, quod ibidem dicitur: „Es ist sehr möglich, dass die Römer zunächst in dieser rauhen Landschaft nichts nahmen als Station für Schiffe und Mannschaft."

10) Aurel. Vict. praetor Ciliciam provinciam habuit. Et Appianus Sullam ita loquentem facit (b. Mith. 57) ἐς μὲν Καππαδοκίαν ἐγὼ κατήγαγον Ἀριοβαρζάνην Κιλικίας ἄρχων. De rebus autem a Sulla in provincia gestis nihil audimus, nihilominus eum in regione a veteribus proprie nominata Cilicia non fuisse, non immerito sumere possumus, praesertim quum ei non opus esset Ciliciam intrare ut mandatum persequeretur. Neque e Livii epitome 70 neque e vita Sullae a Plutarcho conscripta illum in Cilicia fuisse comperimus.

est [11]. Dolabellae administratio, cujus Verres primum legatus deinde quaestor fuit, digna videtur, quae commemoretur. Neque tamen Dolabella neque Verres Ciliciam asperam vel campestrem intraverunt neque in alterutra Cilicia jus sui magistratus exercuerunt, quod Cicero, ut jam Norisius in Cenotaphiis Pisanis II p. 301 bene monuit, ne unum quidem latrocinium in ullo Ciliciae oppido a Verre factum in Verrinis orationibus profert; neque Verres eo usque rapaces manus extendere potuit, quod Tigranes rex Armeniae utramque Ciliciam cum Syria conjunctam Antiocho Pio (a. 669) eripuerat, quae in ejus ditione per quatuordecim fuit annos. Quae quum ita sint, apparet Romanos provinciam Ciliciae nomine significasse, quamquam ejus regionis, quae proprie Cilicia dicta est, nullam partem in potestate haberent. Cujus rei quae causa fuerit, varie perhibetur. Norisius enim (Cenot. Pis. II 300) Dolabella, inquit, Ciliciam provinciam obtinuisse dicebatur non quod vel campestrem vel magnam saltem asperae provinciae partem Romani possiderent, sed quod contra Cilices bellum illi gerendum esset; (cf. Mommsen. II 133) neque ignoro provinciae notionem latius patere ac permulta negotiorum genera praecipue imperium militare comprehendere [12]. Attamen provinciam Ciliciam territorium interpretari velim ea de causa quod Cicero initio divinationis contra Verrem flagitia ejus non solum in Sicilia sed in Achaja, Asia, Cilicia, Pamphylia, Romae denique fieri dicit, cum quo loco conferas in Verr. I 29 „fecit id — ut exercitum, bellum, provinciam relinqueret.“ Itaque nobis de illa re in alia esse sententia liceat. Cilicum enim nomine, quod propter piraticam

---

11) Cic. act. II. in Verrem I. 17 posteaquam Cn. Dolabellae provincia Cilicia constituta est.

12) cf. Becker-Marquardt. Handbuch der römischen Antiquitäten III. 1 p. 242 s.

Romanis terrori erat, quum non solum Cilicienses piratae sed etiam Pamphylii Isaurique [13]) notarentur, non est mirandum, quod Ciliciae nomen etiam provinciae imponebatur, quasi jam Cilices in ditionem potestatemque Romanorum redacti essent. Similiter Romani aliis provinciis exempli causa Asiae, Africae, Germaniae nomina impropria dederunt, ut possessio, ut ita dicam, aliquanto gravior videretur.

Auctor provinciae Ciliciae legitime constitutae a veteribus rerum scriptoribus P. Servilius Vatia, consul a. 675 a. u. dicitur (cf. Becker-Marquardt III p. 165). Sequenti anno in suam provinciam cum classi exercituque venit, in quo C. Julius Caesar per breve tempus militabat (Sueton. Caes. 3) inter legatos L. Valerius Flaccus a Cicerone nominatur (pro Flacco 2) Servilius quum piratae proelio navali victi in terram fugissent, eos secutus Olympum urbem Lyciae in monte sitam vi cepit, ubi Zenicctus dux hostium, ne in Romanorum manus veniret, se suosque igni intcremit [14]). Nonnullis urbibus Pamphyliae Pisidiaeque expugnatis [15]), Servilius primus omnium Romanorum (Oros. V 23. Eutrop. VI 3)

---

13) App. b. Mith. 92. cf. Drumann röm. Geschichte IV. p. 393.

14) Flor. III 6. Cic. in Verr. I 21. P. Servilius vir clarissimus Olympum vi. copiis, consilio, virtute cepit, urbem antiquam et omnibus rebus auctam et ornatam. Eutropius (VI. 3) ita tradens: „P. Servilius Ciliciam subegit, Lyciae urbes clarissimas oppugnavit et cepit, in his Phaselidem, Olympum, Corycum Ciliciae," in errore versatus est, quod Corycus a Servilio capta in Lycia inter Olympum et Phaselidem sita est (cf. Noris. Cen. Pis. II. 303). De errore Strabonis, qui (XIV. 671) Olympum montem in Cilicia esse tradit cf. Forbiger Handbuch der alten Geographie II. 253 et Mannert Geographie der Griechen und Römer VI. 2, 70.

15) Cic. de leg. agrar. II. 19, 50. Quae Attalensium, quae Phaselitum, quae Olympenorum fuerunt, agerque Agerensis et Oroandicus et Gedusanus, haec P. Servilii imperio et victoria nostra facta sunt.

exercitu in Tauro iter fecit, usque ad Isauriam progressus Isauram oppidum munitissimum, haud longe a Lycaoniae finibus expugnavit, unde cognomen Isaurici accepit. Priusquam Romam rediret a. 679 a. u. provinciam Ciliciam, ad quam tunc Pamphylia, Pisidia, Isauria, Phrygia [16]) pertinebant, legibus ordinasse dicitur [17]). Nulla autem illarum urbium, quas modo nominavi, erat in Cilicia, cujus nullum oppidum a P. Servilio Isaurico expugnatum apud historicos invenimus, neque praedones maritimos in Cilicia aspera perdomitos [18]) contra quos, quum sine intermissione [19]) piraticam exercerent, Romani denuo classem comparare coacti sunt.

Servilii successor L. Octavius, collega C. Aurelii Cottae a. 679 a. u. in provinciam venit (Cic. in Verrem I 50) ubi nulla re memorabili gesta morbo interiit. Quo mortuo Lucullus consul a. 680 a. u. Galliam cisalpinam sortitus, maxima cura id egit, ut in Ciliciam mitteretur, ubi bello Mithridatico orto se gloriam habiturum esse putaret. Ac re vera ei contigit, ut non in Galliam provinciam sibi destinatam abiret, sed ut Ciliciam et Asiam obtineret belli cum Mithridate gerendi causa, dum M. Aurelius Cotta Luculli collega Bithyniam sortitus mari piratas aggrederetur. A. 680 a. u. uterque ad bellum proficiscitur.

Lucullus quamquam per septem fere annos in bello Mithridatico versatus est, tamen in constituenda regendaque Asia tam prudentem tam aequum se praestitit, ut laudem quam maximam ab omnibus ferret exceptis

---

16) De Phrygia cf. Bergmannus in Philologo II. p. 643.

17) Cic. ad. Att. VI. 1 cf. Drumann IV. p. 397.

18) App. b. Mith. 93. *Μουρήνας τε ἐγχειρήσας αὐτοῖς οὐδὲν ἐξειργάσατο μέγα ἀλλ' οὐδὲ Σερουίλιος Ἰσαυρικός.*

19) Flor. III. 6. Non ideo tamen tot cladibus domiti terra se continere potuerunt, sed ut quaedam animalia, quibus aquam terramque incolendi gemina natura est, sub ipso hostis recessu impatientes soli in aquas suas resiluerunt et aliquanto latius quam prius.

20) v. Bergmann in Philol. II. p. 655 s.

publicanis, quippe quos aspere tractavisset [20]). In Cilicia autem provincia quid egerit non comperimus, neque ille in Pamphyliam Pisidiamque neque in Ciliciam ipsam venisse videtur, quin etiam traditum est hostes sub Eumacho Mithridatis duce, dum rex ipse Cycicum terra marique obsideret, provinciam Ciliciam per aliquod tempus occupasse, donec a Dejotaro rege Galatarum pellerentur [21]). Eodem bello piratarum opes ita creverant, ut S. P. Q. R. classem in illos mittendam esse censeret, cui M. Antonius pater triumviri et filius oratoris, de quo supra diximus, praefuit. Qui quum artis belli gerendi parum peritus fuerit neque Romani navibus aliisque rebus classi necessariis eum adjuverint, facile est intellectu, cur expeditio non prospere cesserit. Ceterum Antonius brevi post tempore in Creta diem supremum obiit (a 683 a. u.) Post cujus mortem proximis annis nihil contra piratas agitur, qui quamquam Creta insula a Metello a 686 a. u. occupata erat, totum mare in potestate habebant. Et quod gravius est, quum aliis hostibus auxilia ferebant, tum Mithridati, quem in urbibus defendendis maxime juvabant, neque latrocinia intermittebantur, immo res eo processit, ut navigatio omniaque negotia conquiescerent. Liparenses piratis, ne spoliarentur, tributa dederunt, qui ne ab Italia quidem sese abstinebant, sed Brundisii, Miseni, Cajetae, Ostiae etiam appellere non dubitabant, ubi classem contra se coactam, cui alter consul praeerat combusserunt [22]).

---

21) Apud Appianum, scriptorem saepe indiligentem, in belli Mith. c. 75 legimus *Εὔμαχος Μιθριδάτου στρατηγὸς Πισίδας καὶ Ἰσαύρους καὶ Κιλικίαν ὑπήγετο μέχρι* etc. quamquam certo scimus, Ciliciam asperam illo tempore piratas, qui in Mithridatis partes transiissent, tenuisse, campestrem autem Tigrani regi Armeniae, regis Pontici genero et amico paruisse. Rectius in Livii epit. 94 Dejotarus Gallograeciae tetrarcha praefectos Mithridatis bellum in „Phrygia" moventes cecidisse dicitur.

22) De piratis cf. Drumann IV, 393 s. Mommsen III.

Anno denique 687 a. u. A. Gabinius tribunus plebis illam rogationem promulgavit, ut ad virum consularem imperium proconsulare summaque imperii maritimi deferretur, ut omnes totius maris mediterranei naves sub ejus potestate essent, quindecim legati e senatoriis electi, ducentae naves, copiarum quantum vellet, duo millia talentorum ei darentur. Consensu omnium Pompejus classi praeficitur [23]). Quo facto Gabinius id quoque effecit, ut Lucullo imperium adimeretur, postquam jam anno praeterito publicani ab eo injuriam sibi factam putantes a senatu impetraverunt, ut illi imperium quidem in Mithridatem atque Tigranem relinqueretur, neque tamen provinciae, ex quibus Ciliciam Q. Marcius Rex, consul a. 686 a. u. sortitus est, Asiam praetor quidam obtinuit [24]).

Interim Pompejus, quum quadraginta diebus ex occidentali maris mediterranei parte praedones expulsi essent, in Ciliciam asperam profectus est, ubi quasi fontem et originem belli piratici esse, intelligebat. Qua re cognita plerique piratae non tam vi amorum quam lenitate, qua Pompejus utebatur, victi bello destiterunt oppidaque victori tradiderunt, quorum munitissima erant Cragus et Anticragus Lyciae, ubi armorum navaliumque rerum magna copia capiebatur, captivis, quos in hostium manibus invenit, ut in patriam redirent, permisit. (Strabo XIV 665 App. Mith. 96.) Neque tamen sine labore piratae subjecti sunt. Audacissimi enim, postquam uxores, liberos, opes in Taurum montem abdiderunt, apud promontorium Coracesium, ubi olim Diodoti Tryphonis receptaculum fuerat, navibus collectis advenientem Pompejum exspectaverunt. (Strabo XIV 668.) Qui piratis proelio navali superatis Coracesium oppidum obsidere

---

23) v. Drumann IV. 402 s. Mommsen III.

24) Secundum Bergmannum in Philol. II. p. 068. T. Aufidius aut P. Varrinius Glaber nominatus est.

coepit, qua re effecit, ut pacem peterent, promittentes se omnes arces oppidaque Romanis tradituros[25]).

Bello piratico confecto Pompejus, ut latrocinia radicitus tolleret, praedones, qui cladi superfuerant, in alia loca ad piraticam non idonea transtulit. Alii Solos[26]) in urbem prope Tarsum sitam, quam Tigranes Armeniorum rex plerisque Solensibus Tigranocerta traductis, vastaverat, alii in alias Ciliciae campestris urbes, Mallum, Adanam, Epiphaniam, alii Dymas Achajae alii etiam in Calabriam deducebantur. Pompejus igitur primus fuit, qui regionem Ciliciam proprie nominatam in Romanorum potestatem redegit; ad id enim temporis sub ditione eorum fuit, qui in Syria regnabant, ut Tigranis, regis Armeniae, quem ab a. 669 usque ad 683 a. u. Ciliciam occupasse supra demonstravimus. Ejus dux fuit Megadates, qui, quum Mithridates a Lucullo victus ad Tigranem fugisset, omnibus quas habebat copiis ad regem sese contulit. Qua re certior factus Antiochus XIII cognomine Asiaticus Syriam Ciliciamque Lucullo consentiente occupavit[27]) qua re apparet neminem Romanorum ante Pompejum cum imperio in Cilicia propria

---

25) Plut. Pomp. 28 Liv. epit. 99 Florus III 6 non alias tam incruenta victoria usi unquam sumus. — Appianus, quamquam bell. Mith. 95. *Πομπηΐῳ τὴν μὲν θάλασσαν αὐτίκα ἀμαχὶ κεκαθάρθαι* dixit, in sequenti capite numero navium urbiumque captivarum relato *λῃσταὶ δ᾽ ἀνῃρέθησαν ἐν ταῖς μάχαις ἀμφὶ τοὺς μυρίους*, qua ex re Appiani levitatem aestimare potes.

26) Solis ab illo tempore Pompejopolis nomen fuisse cf. Eckhel doct. num. III 68. Strabo XIV 671 *Πομπήϊος Μάγνος κατῴκισε τοὺς περιγενομένους τῶν πειρατῶν, οὓς μάλιστα ἔγνω σωτηρίας καὶ προνοίας τινὸς ἀξίους.* Apud Appianum autem (Mithrid. 96) falso dictum esse *ἐς Μαλλὸν καὶ Ἄδανα καὶ Ἐπιφάνειαν ἢ εἴ τι ἄλλο πόλισμα ἔρημον ἢ ὀλιγάνθρωπον ἦν τῆςδε τῆς τραχείας Κιλικίας συνῴκιζεν* mox intelliges quum consideraveris omnes urbes ab Appiano nominatas in Cilicia fuisse campestri.

27) App. Syr. 49 *καὶ αὐτῷ Λεύκολλος οὐκ ἐφθόνησεν ἀρχῆς πατρῴας.*

fuisse. Nihilominus Norisius in Cenot. Pis. II p. 305 Romanorum primus, inquit, qui cum magistratu ac imperio in Cilicia campestri fuisse apud historicos invenitur, est Q. Marcius rex, qui consul a. u. 686 Ciliciam provinciam sortitus anno sequenti cum tribus legionibus in eandem venit." quod tamen locis a Norisio allatis minime demonstratur[28]). Marcius enim in provincia quidem Cilicia fuit, Pompejus autem praedonibus maritimis superatis utramque Ciliciam in deditionem accepit, itaque a Cicerone jure dictum est in oratione pro lege Manilia habita (c. 12) „totam ad imperium p. R. Ciliciam adjunxit."

Interea quum Pompejus in Cilicia hiemaret C. Manilius trib. plebis rogationem tulit, ut illi infinita potestas ad bellum cum Mithridate Tigraneque gerendum daretur nec non summum imperium in Asia, Bithynia, Cilicia provinciis[29]). Qua lege perlata Pompejus contra hostes proficiscitur, *εἰθισμένος*, ut ait Plutarchus (in Pompejo 31) *ἀλλοτρίοις νεκροῖς, ὥσπερ ὄρνις ἀργὸς, ἐπικαταίρειν, καὶ λείψανα πολέμων σπαράσσειν.* Neque longo temporis spatio interjecto Tigranes Mithridate proelio victo pacem fecit his conditionibus, ut Armenia sibi relinqueretur, omnia autem alia, quae occupavisset, Syria, Phoenicia, Cilicia, Galatia, Cappadocia Romanis traderentur. Deinde a. 690. Pompejus a Mithridatis persecutione desistens in Syriam profectus est, quam in provinciae formam redigeret. Qua in re tantum abfuit, ut ei impedimento esset, quod Antiocho XIII Syria a Lucullo data erat, ut dixisse dicatur: non decere Seleucidas a Tigrane subjectos Syriam regere sed Romanos Tigranis victores[30]). Antiocho Commagene sola relin-

28) cf. Becker-Marquardt III 165 n. 1125.

29) Plut. Pomp. 30, Lucull 35. Cass Dio. 36, 42. App. Mith. 97. Liv. ep. 90.

30) App. Syr. 49. *Ἀντίοχον δὲ ἐξέβαλε τῆς Σύρων ἀρχῆς οὐδὲν ἐς Ῥωμαίους ἁμάρτοντα, ἔργῳ μὲν ὅτε ἦν εὔκολον αὐτῷ στρα-*

quitur. Postquam autem Mithridates mortuus est (691 a. u.) Pompejus Asiae minoris res constituit, de quibus, alia [31]) omittens, id tantum proferam, quod ad provinciam nobis tractandam pertinet. Exigua pars Ciliciae orientalis cum Castabalis paucisque aliis urbibus [32]) Ariobarzani Cappadociae regi traditur [33]) aliam partem in Amano monte sitam, quam jam antea reguli quidam obtinuerant [34]) Tarcondimotus I accepit, cujus successores sub Romanorum imperatoribus in imperio fuisse infra docebimus [35]). Phrygia vero continens Laodiceam et Apameam et Synnadam, de quibus dioecesibus supra diximus, Asiae provinciae attribuitur. Quae urbes quanti momenti antiquitate fuerint, quum omnibus notum ut, nos dicere intermittimus [36]), Hoc tamen loco non possum quin sententiam a Bergmanno in Philol. II p. 643 expositam impugnem. „Postquam, inquit, Cilicia in ditionem redacta est, senatus Asiae praesidis imperio interdum fines constituit angustiores, ita quidem, ut illius provinciae propraeteri vel proconsuli ornamenti causa etiam Phrygiam et Pisidiam, quae tres effecerunt dioe-

---

τιὰν ἔχοντι, πολλὴν ἀρχὴν ἄνοπλον ἀφελέσθαι, λόγῳ δὲ ὅτι τούς Σελευκίδας υπὸ Τιγράνους ἐκπεσόντας, οὐκ εἰκὸς ἦν ἔτι Συρίας ἄρχειν μᾶλλον ἢ Ῥωμαίους Τιγράνην νενικηκότες.

31) V. Drumann IV p. 469 ss.

32) De Castabalis urbe cf. Forbiger II p. 290.

33) App. Mith. 105 *ἔδωκε δὲ καὶ τῆς Κιλικίας πόλιν Καστάβαλα καὶ ἄλλας.*

34) Strabo XIV 676 *μέρος ἀεὶ μὲν ὑπὸ πλειόνων δυναστευόμενον τυρράννων ἐχόντων ἐρύματα.*

35) Strabo ibid. *καθ᾽ ἡμᾶς δὲ κατέστη κύριος πάντων ἀνὴρ ἀξιόλογος καὶ βασιλεὺς ὑπὸ Ῥωμαίων ὠνομάσθη διὰ τὰς ἀνδραγαθίας Ταρκονδίμοτος καὶ τὴν διαδοχὴν τοῖς μετ᾽ αὐτὸν παρέδωκε* cf. Eckhel d. n. III 82,

36) cf. Strabo XII 577 Cic. ad fam. II 17, 3. 5. Droysen Geschichte des Hellenismus II 633 ss. J. Franz „Fünf Inschriften und fünf Städte in Kleinasien Berol. 1840 cui libello forma harum terrarum a Kiperto in tabula egregie delineata addita est.

ceses, daret administrandas." Primum enim Pisidiam tunc provinciae Asiae attributam esse demonstrari non potest[37]) nec magis illa, quae de tribus Phrygiae dioecesibus dicta sunt, probare possumus. Illas enim partes, quum prius ad Asiam provinciam nunquam pertinuissent, Pompejus primus a Cilicia diremisse dicitur, quippe quod provincia Cilicia regione, quae proprie Cilicia vocatur, occupata, magnopere amplificaretur. Nihilominus, quum Cilicia aliis proconsularibus provinciis inferior et esset et haberetur; facile intelliges, proconsulum, qui Ciliciam sortirentur, magni interfuissse, ut illam provinciam quam maximam acciperent, quod nisi Phrygia ab Asia provincia diremta fieri non potuit. —

Dioecesibus, de quibus loquimur, a 692—693 a. u. L. Valerius Elaccus, Asiae propraetor[38]) a 694 — 696 Q. Tullius Cicero, 696—697 C. Fabius Adrianus praefuerunt (cf. Bergmann p. 673 ss.) eodemque tempore Cilicia provincia, a proconsule administrata (Cic. pro domo 9, 13) Pamphyliam, Pisidiam, Isauriam, Lycaoniam, utramque Ciliciam complectitur; itaque a Pompejo primo provinciam Ciliciam ita constitutam esse, ut nomini responderet, satis docuisse videmur (cf. App. b. Mith 106. 118.)

§. 2.

De Ciliciae praesidibus ab anno 692 usque ad Ciceronem proconsulem (a. u 703)

Annis 692 — 696 a. u. quis Ciliciae praefectus fuerit non certo scimus, attamen quum constet usque ad a. 696 illam provinciam proconsularem fuisse, verisimile est ex eorum numero, qui annis 690—695 consules nominentur,

37) cf. Norisius Cen. Pis. II 306 Becker-Marquardt III 1 166.

38) Cic. pro Flano 27 namque, ut opinor, Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia cf. cc. 7. 15. 16. 28.

Ciliciae praesides fuisse, praesertim quum illo tempore et consules et praetores statim ex consulatu aut praetura in suam quisque provinciam proficisci solerent[39]. Ex quibus D. Junius Silanus cons. 692 a. u. et M. Valerius Messala Niger cons. 693 a. u. Ciliciam sortiti esse videntur, quod quidem firmis argumentis probare non possumus. Anno autem 696 a. u. quum L. Calpurnius Piso et A. Gabinius coss. secundum legem Grachanam ante consulatum initum provincias sortirentur, Gabinio Ciliciam obvenisse constat. Nihilominus Clodius, trib. plebis a senatu impetravit, ut Gabinio, quem sibi conciliare vellet, Syria daretur, quae provincia multo praestantior Cilicia habebatur[40]. Cilicia „extra ordinem," ut Ciceronis verbis utar, (pro domo 9, 13) praetori traditur[41].

Alteram legem ad nostram provinciam pertinentem Clodius tulit, ut, quum Ptolemaeo, regi Cyprio, Cleopatrae patruo, imperium ereptum esset, Cyprus in Ro-

39) De lege a Pompejo a 52 promulgata v. infra.

40) Cic. pro Sest. 25 reliquas illius anni pestes recordamini, nt Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi, si rempublicam prodidisset, pactus erat, Syria daretur et uni heluoni bis de eadem re deliberandi et rogata lege potestas fieret provinciae commutandae Plnt. Cic. 30 ὁ *Κλώδιος — τῶν ὑπάτων ἑκατέρῳ μεγάλας ἐπαρχίας ἐψηφίσατο Πείσωνι μὲν Μακεδονίαν Γαβινίῳ δὲ Συρίαν*.

41) Praetoris nomen memoriae non traditum est, nec Drumannus, ita tradens (II p. 262) „Cilicien fiel dem Praetor T. Ampius Balbus zu, wohl auf Pompejus Verwendung. dem er a 63 als Volkstribun mit seinem Kollegen T. Labienus Ehrenbeschlusse erwirkt hatte" recte dixisse videtur, neque nostrae sententiae obstat, quod Cicero in epistola ad fam. I 3, quem locum Drumannus affert, Lentulo Ciliciae proconsuli A. Treboninm commendat, in provincia ejns magna negotia et ampla habentem, et cohortatur. ut quae T. Ampius de ejus re decreverit, comprobet. Nam T. Ampinm Balbum Asiae, cui provinciae tunc illae tres dioeceses attributae essent, praefectum fuisse, Bergmannus in Philol. II 677 bene monuit. cf. Eckhel IV 352 s.

tamen sum auctor, ut si quibus rebus possis, eum tibi ordinem aut reconcilies aut mitiges." Praeterea in eadem epistola scribit, se laetari Lentulum esse imperatorem provinciamque bene gestis rebus cum exercitu obtinere, quo cum loco conferenda est epistola VIII ejusdem libri: „rem te valde bene gessisse rumor erat." Imperator Lentulus ea causa nominatus est, quod, ut postea Cicero, excursionem contra nationes fecerat, quae Amanum incolebant, quam ob rem aliquanto temporis interjecto, quum Cicero jam in provincia esset, a 703 a. u., triumphum egit (Cic. ad Att. V 21). Ceterum Lentulus provinciales non magnopere vexavisse videtur, quod ne unum quidem ex inimicorum, quod habebat, multitudine eum repetundarum accusavisse a rerum scriptoribus traditum est. —

Deinde Appius Claudius Pulcher, qui 700 a. u. cum L. Domitio Ahenobarbo consul fuerat, provinciam administravit, cujus tum idem erat ambitus ac Lentuli tempore[44]). Appii Claudii frater fuit Clodius, Ciceronis adversarius, generum Pompejum habebat; hinc etiam explicandum est, cur Cicero, quamquam multum abfuit, ut eum magni faceret, saepe ei deditus videatur. Eum enim, quem consulem magnae avaritiae fuisse constat, in provincia etiam multo pecuniae cupidiorem atque insolentiorem fuisse facile credes. Qualem Appius, qui mense Quintili a 701 administrationem iniit, in provincia se praestiterit, ex quibusdam Ciceronis, qui eum excepit, epistolis apparet. In his epistolis quamvis nihil nisi quod sequius dictum sit, de Appio legamus, tamen omnia fere a Cicerone vere tradita esse non immerito sumere possumus, praesertim quum eae epistolae, quas nunc afferemus, ad Atticum Ciceronis amicissimum missae sint, apud quem quidquid sentiret, libere profiteri posset. Ut in epistola 16 lib. V ad Atticum: „Maxima, inquit,

44) cf. Cic. ad fam. III 8 ad Att. VI 1 Eckhel d. n. IV 354.

exspectatione in perditam et plane eversam in perpetuum provinciam nos venisse scito pridie Kal. Sext. Moratus triduum Laodiceae, triduum Apameae, totidem dies Synnadae, audivimus nihil aliud nisi imperata ἐπικεφάλια solvere non posse, ὠνὰς omnium venditas: civitatum gemitus, ploratus: monstra quaedam non hominis sed ferae nescio cujus immanis" Similia in sequenti epistolae leguntur: „satis enim habeo negotii in sanandis vulneribus, quae sunt imposita provinciae." Quibus verbis quid durius cogitari potest? Ad Appium autem ipsum quum epistolae mitterentur, mitioribus verbis utebatur, quamquam ex his quoque quantam injuriam provincialibus attulerit, satis intelligimus. Cujus rei nonnulla exempla afferre liceat. Incolae quidem Appiae, quod oppidum in Phrygia situm fuit, quum esset constitutum, ut Appio monumentum poneretur, cum Cicerone conquesti erant, a se intolerabilia tributa exigi. Quibus Cicero respondit, ne facerent ante quam ipse rem causamque cognovisset. Qua re cognita quum Appius illum propter aedificationem prohibitam per litteras vituperavisset, Cicero quae a se gesta essent, quantum potuit excusans quasi in transitu (ad fam. I. 7). „Sed scito, inquit, et multo plures esse, qui de tributis recusent, quam qui exigi velint; et me tamen, quod te velle existimem, esse facturum." Quanta tributa ab Appio provinciae imposita sint, ex his verbis patet (ad fam. I. 8) „decrevi nihil nisi quod principes civitatum a me postulassent: ne in venditionem tributorum et illam acerbissimam exactionem, quam tu (i. e. Appius) non ignoras, capitum atque ostiorum inducerentur, sumtus minime necessarii." Nec minus quam Appius legati et praefecti provinciales vexabant, qua de re iisdem epistolis certiores facti sumus [45]). Longe autem turpissimum Scaptius

45) Ad Att. VI. 1 quid dicam de illius praefectis? comitibus? legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumeliis? cf. ad fam. III. 8 te aliorum improbitate minus felicem fuisse.

fecit, Appii praefectus. Qui enim, quum Salaminii Cyprii aes alienum, quod a Bruto contraxissent, dissolvere non possent, a Ciliciae praeside turmam equitum acceperat, quibus inclusum in curia senatum Salamine tam diu obsedit, ut fame senatores quinque morarentur[46]). Neque igitur injuria Appius cum medico a Cicerone comparatur in epist. ad Att. VI. 1: „quum ἐξ ἀφαιρέσεως provinciam curaverit, sanguinem miserit, quidquid potuit detraxerit, mihi tradidit enectam." Quae ut ipsi Appio Cicero scriberet tantum abfuit, ut in eadem epistola legamus, se ejus famae quantum posset studuisse. Quid quod idem Cicero ad fam. III 8 „quum uterque nostrum, inquit, recte fecerit, sed non idem uterque secutus sit?" Hoc enim quamvis licet callide dictum a nobis minime probari potest[47]). Appius quoque imperator nominatus est propter expeditionem contra Eleutherocilices factam, unde quamquam ea magni quidem momenti non erat, triumphum petiit. Sed frustra. Nam 704 a. u. a P. Dolabella laesae majestatis accusatus non diu ante Romae portas moratus est, sed urbem se purgandi causa ingressus triumpho destitit. Causam ejus Hortensius et M. Brutus defenderunt, quorum opera periculo liberatus[48]) eodem anno censor creatur. —

§. 3.

De Cicerone Ciliciae praefecto.

De Cicerone, qui Appium in provincia administranda secutus est, copiosius dicere liceat, primum quod epistolis

46) ad Att. V 21. VI 1. 2. 3. apud Schuetzium III 250 — 264. Hunc Scaptium procuratorem M. Bruti fuisse cf. Drumann IV 21, quam rem accurate tractavit Savigny in libello „Ueber den Zinswucher des M. Brutus" in actis Acad. Berolin. 1818. p. 179—188.

47) Ciceronem de hac etiam re excusare conatus est Wielandius in epistolarum translatione III p. 517 n. 24.

48) cf. Drumann II 194. Ad fam. III 11. 12.

ejus multa, quae ad provinciae nobis tractandae conditionem attinent, memoriae traduntur, deinde quod ex provinciae administratione Ciceronem ipsum aestimare possumus, res sane digna, in quam dedita opera inquiratur[49].

Anno 701 a. u. senatus censuit, ne quis prius quam quinque post annis quum consul aut praetor fuisset provinciam administraret (Cass. Dio 40, 46) quod Senatus consultum anno sequenti Pompejus renovavit, prohibiturus scilicet ne Caesar, si consul creatus esset, statim ex consulatu in provinciam iret. Qua re factum est, ut Ciceroni quoque, quum in eorum esset numero, qui antea provinciae non praefuissent, provincia eveniret. Quum enim post praeturam a 688 a u. Romae consulatum ambire voluisset, provinciam non petiverat, nec posteaquam consul fuit, ei in animo erat Roma decedere, quo nihil miserius putavit. Saepissime in ejus orationibus et epistolis legimus se Romae semper vivere flagrantissime concupivisse, ut in oratione pro Sulla habita (c. 9) sibi, inquit, haberent honores mihi liceret ejus urbis, quam conservassem, conspectu tranquillo animo et quieto frui; quo cum loco conferas, quod ad Rufum scripsit (ad fam. II 12) „Urbem, urbem, mi Rufe, cole et in ista luce vive. Omnis peregrinatio (quod ego ab adolescentia judicavi) obscura et sordida est iis, quorum industria Romae potest illustris esse." Quid contra de provinciis administrandis judicaverit, optime ex oratione, quae a 59 pro Flacco habita est, intelliges (c. 35) „O conditiones miseras provinciarum administrandarum! in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum; ubi severias periculosa est, liberalitas ingrata, sermo

49) Ne in malam partem accipiatur, si quid in hoc capite contra virorum doctissimorum sententiam reperiatur, inprimis Drumanni, cui viro illustrissimo quum rerum scriptori tum praeceptori meo maxime venerando me multum debere ex animo profiteor!

insidiosus, assentatio perniciosa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus; iracundiae occultae, blanditiae apertae, venientes praetores exspectant, praesentibus inserviunt, abeuntes deserunt. Sed omittamus quaerelas, ne nostrum consilium in praetermittendis provinciis laudare videamur" (cf. ad Att. VII 1). Neque igitur mirabimur, contra voluntatem Ciceronis accidisse, ut sibi cum imperio in provinciam proficisci necesse esset (ad fam. III 2) quam rem minime aptam suis moribus habuit (ad Att. V 10). Quam sententiam, quum in provincia esset, neutiquam mutatum esse, his verbis apparet: (ad Att. V 15) „Clitellae bovi sunt impositae, plane non est nostrum onus, sed feremus[50]).“ Molestius etiam ferebat, se in in Ciliciam proficisci coactum esse, quae provincia quum omnium Roma longissime abesset tum Parthorum irruptionibus exposita videretur. Quae quum ita sint, Ciceronem maxime id contendisse, ut quam brevissimo tempore in provincia remaneret, facile est intellectu; et profecto omnibus epistolis, quae ex Cilicia Romam mittebantur, amicis mandavit, ne paterentur sibi provinciam prorogari[51]). Antea enim, quum provinciarum administratio annua esset, rogatione ad populum opus fuerat, si quis provinciam sibi prorogari vellet, sed anno 673 a. u. Sulla legem pertulerat, ut senatui liceret, de provinciis consularibus, quomodo liberet, decernere, praefecti autem in provinciis commorarentur, dum successor Roma veniret, post cujus adventum intra triginta dies provinciam relinquerent. Neque igitur mirum, quod Lentulus Spinther et Appius Claudius, Ciceronis decessores, per plures annos in provincia manserant, quae res etiam necessaria nobis videtur cogitantibus, illo tempore populum Romanum plus

50) cf. ibid. VI 4, ad fam. XV 9. II 11. 12. VI 3.

51) Imprimis ad Att. V 1, 2, 10, 17, 18, 21 Ad fam. II 7, 10. III 8. XV 9, 12, 14 cf. Drumann. hist. Rom. VI 147. 148.

quam duas consulares provincias habuisse[52]). Quare Cicero, priusquam Roma decederet, maxime laborabat, ne administratio longior annua esset, quod ubi adeptus est, mense Majo a. 703 Roma profectus est. Eum secuti sunt legati quatuor: Q. Cicero frater ejus, M. Annejus, L. Tullius, C. Pomptinus, in quo, quum in Gallia Caesare duce fortiter dimicasset atque summa laude affectus esset, Cicero omnem spem posuisse videtur, veritus, ne Parthi provinciae bellum inferrent. Quaestor fuit L. Mescennius Rufus[53]) praefectus fabrum Lepta nominatus est. Praeterea, ut mos erat, permultos juvenes nobili loco natos inter ejus comites cernimus, qui se in provincia gloriam sibi comparaturos esse sperabant[54]). Reliquis Ciceronis comitibus praetermissis[55]) ipsius filium M. atque filium fratris Q. solos addo, qui quamquam adhuc pueri, patres in provinciam secuti sunt.

A. d. XI Cal. Jun. quum Brundisii naves conscendissent, omnes a. d. XVII Cal. Quint. Actii egressi per Graeciam itinere facto decem diebus exactis Athenas venerunt, unde pridie Non. Quint. iter persecuti „per mare vi ventorum agitatum et turbatum tamen sine timore et nausea" tardius navigantes a. d. XI Cal. Sext. Ephesum ceperunt (ad Att. V. 12. 13). Ac si

52) Legem Corneliam Caesar mutavit (a 46) quum decerneret, ne praetoriae provinciae plus quam annunm neve plus quam biennium consulares obtinerentur, deinde M. Antonius legem de provinciis promulgavit, ut consulares per sex annos obtineri liceret. cf. Becker-Marquardt III p. 280. Drumann III p, 624.

53) Sub Cicerone proconsule in Cilicia unum modo quaestorem fuisse, jam Drumannus demonstravit (VI p. 113 n. 51) nam Volusius, qui in epistola Ciceronis ad Attic. V. 11. vocatur, comes quidem fuit nentiquam quaestor.

54) v. ad Att. V. 10. ita multa vel iracunde vel insolenter vel in omni genere stultitiae insulse, arroganter et dicuntur et tacentur quotidie.

55) cf. Drumann VI ibid.

cum imperio in Asiam provinciam venisset, Graeci quasi propraetori Asiae, qui Ephesum navem appellere solebat, alacres se obviam attulerunt, qua re nihil, ut ipse dicit, eum unquam delectavit magis (ad Att. V. 20.) Neque aliter receptus ab incolis ceterarum urbium, quas in itinere attingebat, pridie Cal. Sext. Laodiceae provinciam sibi administrandam intravit.

De conditione, quae fuit inter Ciceronem et Appium ejus decessorem, quamquam jam supra nonnulla attigimus paullo accuratius hoc loco tractandum est. Cicero enim, priusquam Romam relinqueret, nec minus in ipso itinere se ei amicissimum esse saepe confirmavit, ea de causa opinor, quod optabat, ut Appius sibi explicatam provinciam traderet [56]), Maxime autem intererat Ciceronis, Appium copias quas habuit, non dimittere. Ille autem indignatus, quod non diutius in provincia remanere posset, qua re nihil sibi jucundius fuisset, Ciceronem otii quasi turbatorem profecto iniquum habuit, cui rei accessit, quod verebatur neque id temere, ne Cicero aperiendo quae a se male gesta essent, sibi nociturus esset. Itaque factum est, ut ne id quidem faceret, quod illo tempore in omnium provinciis praefectorum consuetudine erat, ut successori obviam proficisceretur, qua de re Cicero cum Appio multum conquestus est. (ad fam. III. 7.) Dum enim Cicero provinciae Ciliciae finibus appropinquat, ille Tarsum se recepit, etiam jus dicere pergens, cujus rei potestatem jam minime habuit. Neque igitur Ciceronem cum illo in simultate fuisse mirabere, quamquam brevi post tempore conciliati videntur [57]). Sed haec de Appio hactenus.

---

56) ad fam. III. 2. haec una consolatio occurrebat, quod neque tibi amicior quam ego sum, quisquam posset succedere, neque ego ab ullo provinciam accipere, qui mallet eam mihi quam maxime aptam explicatamque tradere.

57) Hanc rem acriter tractavit Drumann. VI. 121—125. cf. 165.

Ciceronem provinciam intrantem imprimis sollicitudine affecit, quod bello Parthico imminente, copiae, quas habuit sufficere non viderentur, neque enim ei neque Bibulo Syriae praesidi, ut in Italia delectum haberent, consules permiserunt. Pecunias quoque, quibus ad provinciam administrandam et milites conducendos ei opus erat, non prius quam in provinciam venisset, Laodiceae accepit (ad fam. III. 5). Itaque initio administrationis non plus habuit militum quam quos in provincia ab Appio relictos nactus erat, quibus ipse „nomen duarum legionum exilium" in epistola quadam ad Atticum imponit. Quae quum ita essent, maximam operam exercitui comparando navavit, brevique tempore id effecit, ut quindecim millia militum, inter quos duo millia et sexcentos equites, magnam partem ex Romanorum sociis, cogeret [58]) qui numerus apud Plutarchum solum in libro de Cicerone c. 36 invenitur: εἶτα κλήρῳ λαχὼν τῶν ἐπαρχιῶν Κιλικίαν καὶ στρατὸν ὁπλιτῶν μυρίων καὶ δισχιλίων ἔπλευσε, cui cave ne credas tantam militum copiam Ciceroni fuisse, quum Italia decederet. — Neque id miror, quod Cicero numquam metu liber erat, ne Parthi, qui Romanos ante biennium vicerant, Crasso crudeliter interfecto, in Romanorum fines denuo irrumperent, quamquam multum abest, ut eam rationem comprobem, qua Cicero timorem patefacit. (cf. ad Att. V. 11, 16 VI. 2) Primum ei mense Sextili brevi post tempore quum in provinciam venisset, nonnullos equites Romanorum a Parthis concisos esse nuntiatum est (ad Att. V. 16) deinde autem quum nuntii et litterae de bello a Parthis in provinciam Syriam illato quotidie fere afferrentur, maxime convenire officio suo putabat, parare ea, quae ad exercitum quaeque ad rem militarem

---

58) Ad Att. VI. 5 auxilia sane bona sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum; haec enim sunt nostra robora.

pertinerent [59]). Exitu mensis Sextilis, quum exercitu lustrato ad Iconium castra locata essent, legati ab Antiocho Commageno venerunt, qui nuntiarent, Artavasdem, regis Parthorum filium, cui erat nupta regis Armeniorum soror, ad Euphratem cum maximis Parthorum copiis, multarumque praeterea gentium magna manu venisse, Euphratemque jam transire coepisse. Idem fere Tarcondimotus regulus Cilicum, de quo supra mentio facta est, per nuntium declarat. Quo audito Cicero cum exercitu per Cappadociae eam regionem, quae Ciliciam attingeret, iter fecit, castraque ad Cybistra [60]), quod oppidum fuit ad montem Taurum, posuit, ut et Ciliciam tueretur, et Cappadociam teneret a Syria patentem, quae reges haberet finitimos, qui etiamsi Romanis amici essent, tamen aperte Parthis inimici esse non auderent. Huc accedit, quod, quum Cybistris moraretur, Dejotarum fidelissimum regem atque amicissimum p. R. maxime conjunctum habebat, cujus „et consilio et opibus adjuvari posset respublica" (cf. ad fam. XV. 2, 4).

59) Irruptio igitur Parthorum causa fuit, cur Cicero copias omnibus rebus ornaret, id quod ex epistola quoque ad S. P. Q. R. missa apparet (ad fam. XV. 2). Apud Drumannum, bellicosum Ciceronis animum deridentem, haec legimus: (hist. Rom. VI. 128) „Er wollte über den Taurus vorrücken und Moeragenes, einem Häuptling im Gebirge eine Schlacht liefern, damit er Terentius, den entlaufenen Sklaven des Atticus, zurückgäbe, zugleich aber nach vollbrachten Thaten Dankfest und Triumph erlangen." cf. ad Att. V 15. Moeragenem vero principem Cilicum fuisse nusquam invenimus nisi apud Schnetzium in editione epist. Cic. III. p. 61, qui idem ac Drumannus adnotatione profert. Cf. Wieland. III. 173, qui Moeragenem pro Graeco habet, qui servum Attici receperit. Drumannus in serium convertisse videtur, quod Cicero per jocum dixit „ut cum Moeragine signis collatis, si possem, de servo tuo deciderem". cf. ad Att. VI. 1. Terentii nullum vestigium agnovi, Moeragenes certe periit. Feci iter per ejus possessiones, in qua animal reliquum nullum est."

60) De situ Cybistrorum, quae nunc Eregli vocantur, optime quaesivit Kiepert in libro Ritteri Kleinasien II. 258.

Dejotarus enim, cui plus erant militum quam Ciceroni ipsi, nunciis missis promiserat, se cum omnibus suis copiis in Romanorum castra esse venturum. Quare Dejotarum a Cicerone magna laude semper affectum invenimus, ad quem etiam bello Parthico imminente duo Cicerones pueri, de quibus supra diximus, missi sunt. (ad Att. V. 18). Ceterum illo tempore fortiore quam arbitreris animo fuit, itaque ad Atticum haec scripsit: (ibid.) „Stamus animis, et quia consiliis, ut videmur, bonis utimur, speramus etiam manu. Tuto consedimus, copioso frumento, Ciliciam prope conspiciente, expedito ad mutandum loco, parvo exercitu, sed ut spero ad benevolentiam erga nos consentiente, quem nos Dejotari adventu cum suis omnibus copiis duplicaturi sumus. — Si fuerit occasio, manu, sin minus, locis nos defendemus." Quamquam autem Cicero noster tam fortem se praestitit, tamen nihil magis expetivisse videtur, quam ne a Parthis inquietaretur, quod ex ejusdem epistolae verbis concludimus: „certissimum subsidium est hiems," quo quidem tempore Parthi irruptiones facere non solebant. Attamen milites omnibus rebus instituere non destitit, maximam autem curam equitatui adhibuit, quippe quod Parthi quoque equitatu insignes essent [61]). Equitatus maximam partem in Ciliciam praemisit, ut adventus ejus iis civitatibus, quae in ea parte essent, nuntiatus firmiores animos omnium faceret, et Cicero ipse mature quid in Syria ageretur, scire posset. Dum ipse in castris in Cappadocia moratur, summa diligentia exhausit, quae cunque a senatu mandata erant, ut Ariobarzanis Cappadociae regis, salutem, incolumitatem regnumque defenderet [62]). Interea multorum litteris atque nuntiis cognovit magnas Par-

61) Ad Att. V. 19 quae de Tarantinis in militia laboravi, ea tibi grata esse gaudeo, cf. Wieland. n. 12 ad lib. VII.

62) De hac re copiosius agitur ad fam. XV 2, cf. Drum. VI. 130.

thorum copias ad oppidum Antiochiam accessisse, unde non sine gravi causa timebat, ne Parthi in Ciliciam ad meridiem spectantem irrumperent. Quare quum videret copias Parthorum a Cappadocia aversas non longe a finibus Ciliciae esse, quam potuit maximis itineribus super Taurum in Ciliciam profectus Tarsum petiit.

Quo ut venit a. d. III Non. Octob. hostem a Cassio rejectum jam Antiochia recessisse certior factus est, qua re cognita confestim Dejotaro, jam ad se cum magno et firmo equitatu et peditatu advenienti nuntiavit non videri causam esse, cur abesset a regno. Copiis autem, quas Cicero ipse habebat, in Amanum montem excursionem facere constituit, ut hostes, cum quibus jam antea Ciliciae praesides manus conseruisse docuimus (v. supra p. 17, 19) ex eo monte radicitus tolleret (ad fam. II. 10. XV. 4). Qua in re ostentationem quoque Ciceronis intelliges, qui excursione, de qua nunc loquemur, „laureolam" sibi comparare vellet [63]). De rebus cum Amaniensibus gestis quum Cicero ipse late et verbose epistola quarta libri decimi quinti ad Catonem scripserit, a quo petiit, ut in senatu supplicationes sibi decerneret, nobis breviter dicere liceat.

Ante d. III. Id. Octob. quum in Amanum ascendisset, incolae necopinantes oppressi, plerique fuga interclusa occisi captique sunt. Nonnullis vicis vel castellis expugnatis atque incensis, inter quae Erana [64]) „quod non vici instar sed urbis erat Amani caput," a militibus imperator appellatus est (ad Att. V. 20 ad fam. II. 10) qua re nihil ei jucundius fuisse facile credas, quamquam

---

63) cf. ad fam. II. 10 tantum modo ut haberem negotii, quod esset ad laureolam satis.

64) De situ castellorum, quae Cicero vocat Erana, Sepyra (Smyrna?) Commoris, nihil certi scimus, tamen cf. librum Ritteri „Erdkunde von Asien VIII. 2 p. 1808 et W. Barker Lares and Penates or Cilicia and its governors (London 1853) p. 263 ss.

de victoria Pomptinus legatus magis meritus videtur quam Cicero ipse.

His rebus ita gestis castra in Amani radicibus apud aras Alexandri locavit in eodem loco, quo Alexander Magnus contra Darium castra posuerat. Ubi per quatuor aut quinque dies moratus, direpto et vastato Amano castra movit. Pindenissus enim munitissimum oppidum Eleutherocilicum omnium memoria in armis fuit, quod quum esset altissimo loco ab iisque incoleretur, qui ne regibus quidem unquam paruissent, quum et fugitivos reciperent et Parthorum adventum acerrime exspectarent: ad existimationem imperii pertinere arbitratus est, comprimere eorum audaciam (ad fam. XV. 4). Itaque Pindenissus summa vi oppugnata septimo et quinquagesimo die, postquam obsideri coepta est, primis Saturnalibus expugnatur [65]) (ad Att. V. 20 Hilara sane Saturnalia). Qua in obsidione tironem Ciceronem fuisse facile videbis quum legeris, quam verbose omnia ad obsidionem necessaria, quae quidem imperatori notissima esse debebant, epistolis saepe a me allatis describantur (cf. Drumann VI. 131 s.). Pindenisso capta, Tibareni, gens illis finitima pari scelere et audacia, obsides dederunt. Deinde tertiis Saturnalibus mancipia venierunt, quorum tanta fuit copia, ut illis venditis plus H. S. CXX. reciperentur. Attamen tantum abfuit, ut Eleutherocilices plane subjecti essent, ut postea etiam saepius rebellarent et latrocinia exercerent (ad At. VI. 4). Itaque itinere in Amanum montem facto non multum impetratum videtur neque jure Cicero gloriatus est rumore adventus sui et Cassio, qui Antiochiae tenebatur, animum accessisse et Parthis timorem injectum esse (ad Att. V. 20).

65) Ad Att. V. 20 „qui isti Pindenissae? qui sunt? inquies: nomen audivi nunquam." De Pindenisso, cujus situs adhuc ignotus est, quam aliqui urbem Sis, quae nunc vocatur, esse immerito sumunt (Barker Lares and penates p. 27 n.) v. Ritter Erdkunde ibid. et Kiepert in Ritteri Kleinasien II. p. 69.

Parthi enim Antiochia, quum diu nequidquam oppugnata esset, ultro recesserunt, qua re facta Cassius Antiochia egressus necopinantibus magnam cladem intulerat. Interea Bibulus, Syriae praefectus, in provinciam venit, quem eosdem Amanienses (Armanus enim Ciliciam Syriamque dirimit) aggressum cohortem unam totam amisisse invenimus (ad Att. V. 20) qua de re Cicero paullulum gavisus videtur; ita enim scribit: „in eodem Amano Bibulus coepit laureolam in mustaceo quaerere."

Initio a. 704 a. u. exercitum in hiberna deducendum Q. fratri dedit, ipse Laodiceam se recepit, neque prius quam mense Majo in Ciliciam rediit, semper timens, ne Parthi provinciam intrarent [66]. Neque tamen accidit, quod tantopere timebat.

Res a Cicerone bello gestas, quas videlicet Drumannus maxime cavillatur (cf. ejus librum VI. 126—134, 526 ss.) quum descripserimus, multum abest, ut illum virum fortissimum habeamus et ipsum, quae gesserit, nimium efferre negemus. Nam Ciceroni jactationem haud parvam fuisse unusquisque, qui studio non teneatur, concedet; qua etiam commotus est, ut propter ea quae contra Amanienses egisset, triumphum ambiret. Qua de re tamen ut recte judices, in memoriam revoca, quoties illa quidem aetate ovationes et triumphi sine justis causis dati sint. Et ipse Cicero se imperatorem magnum nunquam credidit, quod quisque intelliget quum quae epistolis dicta sunt, perlegerit. Exempli causa hunc locum afferam (ad Att. V. 20) „Alexander imperator haud paullo melior quam aut tu aut ego" et alium in epistola ad Papirium Paetum (ad fam IX. 25). „Summum me ducem litterae tuae reddidere. Plane nesciebam,

66) cf. ad Att. VI. 1 equidem sum in magna animi perturbatione; si, ut opto, non prorogatur nostrum negotium, habeo Junium et Quintilem in metu, duo quidem menses sustinebit Bibulus. Quid me autem, si non tam cito decedo? magna turba est! etc.

te tam peritum esse rei militaris. Pyrrhi te libros et Cineae video lectitasse, itaque obtemperare cogito praeceptis tuis: hoc amplius; navicularum habere aliquid in ora maritima, contra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inveniri posse. Sed quid ludimus? nescis, quocum imperatore tibi negotium sit. *παιδείαν Κύρου* quam contriveram legendo, totam in hoc imperio explicavi. Sed jocabimus alias coram, ut spero, brevi tempore etc." Quibus verbis non minus quam ex timore Parthorum, de quo supra locuti sumus, mox apparebit, multum abfuisse, ut Cicero se virum rei militaris putaret. Quin etiam quanti pretii nomen imperatoris esset bene intellexisse videtur, quum „appellationem imperatoris inanem" nominet. Quid autem, quod Cicero nulla alia re nisi animo inani ambitioneque dicitur commotus, ut crudelissimum in Eleutherocilices se praeberet? quam sententiam a Drumanno latam esse video. Legimus enim in ejus hist. Rom. VI. 147: „Man fühlt sich verletzt, dass Cicero ohnerachtet seiner feinen philosophischen Bildung, wodurch er auch sittlich den Tross der Optimaten zu überragen glaubte, so hart verfuhr: die Thiere in der Provinz sollten seine Milde empfinden (cf. infra p. 31), die Menschen im nahen Gebirge hetzte er wie die Thiere;" (cf. VI. 462) de Eleutherocilicibus autem, quos omni modo Drumannus excusat, eodem loco dictum est: „den Unterjochten blieb kein anderer Zufluchtsort, wenn ihnen Haus und Hof genommen wurde, eitle Proconsuln, die vor den Parthern zitterten und doch als Imperatoren heimzukehren wünschten, stempelten gerechte Vergeltung und Nothwehr zum Verbrechen." Qua in re non obliviscendum mihi videtur, Cilices jam diu, antequam Romani illam regionem venirent, latrocinia exercuisse.

Quamvis igitur rei militaris laus a Cicerone jure abjudicata sit, tamen probare non possumus, ea quae in provinvincia administranda gessit, parvi ducenda vel

potius pro nihilo habenda esse. Nam quid pulchrius Ciceronis abstinentia! res illo quidem tempore sane admirabilis! Quae quanta fuerit, jam itinere in provinciam declaratur. Quotidie meditatus est, suisque praecepit, ut summa modestia et summa abstinentia uterentur (ad Att. V. 9). Itinere per Graeciam facto nihil accipitur quod lege illa Julia [67]) cum potestate in provinciam proficiscentibus liceret, qua re comites quoque, quum nihil ab illo fieri ita viderent, ut sibi esset delinquendi locus, commoti sunt, ut eadem temperantia uterentur (ad Att. V. 11).

Deinde quum in provinciam venisset, plus etiam occasionis datum est, ut clementiam ostenderet, quoniam deccssoris administrationem pessimam fuisse vidimus. Appii vulnera non refricuit, sed apparuerunt nec occuli potuerunt (ad Att. V. 15) neque igitur Cicero nimis se ipse laudasse videtur dicens ad Att. V. 16: „mehercule adventu nostro reviviscunt justitia, abstinentia, clementia.“ Nullo novo onere provincialibus imposito eo processit ille, ut ne pantheros quidem, quos Coelius et Octavus aediles ludorum causa petiissent, venari permitteret, ne provinciales ex ea re molestiam traherent. Comperimus etiam Cicerone provinciam obtinente nullum teruncium sumtus factum esse neque in rempublicam neque in quemquam comitem praeterquam in C. Tullium legatum (ad Att. V. 21). Is enim ceteroquin abstinens quod ei Julia lege licuit, acceperat, semel tamen in diem neque, ut alii solebant, omnibus in quos venerant vicis. Quid mirum, quod Cicero maxima admiratione et „mirifica exspectatione“ quocunque venit, ab omnibus exceptus est. Huc accedit, quod sex mensibus imperii ejus provinciales nullas litteras i. e. rescripta acceperant neque opus erat comitibus ejus hospitia praebere, qua re provincialibus ab aliis praesidibus detrimentum alla-

67) cf. Becker-Marquardt III. 1 n. 1969.

tum esse notum est. Ante Ciceronem quantus quaestus proconsulibus in provincia fuerit, ex hac re effici potest, quod civitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dederunt, ut Cyprii ducenta talenta Attica; qua ex insula Cicerone proconsule nummus nullus erogatus est [68]). Quum in provinciam venisset, ubi fames orta erat, quacunque iter fecit, nulla vi, nulla judicio, nulla contumelia, auctoritate et cohortatione sola perfecit, ut et Graeci et cives Romani, qui frumentum compresserant, magnum numerum egentibus pollicerentur. Ob haec beneficia nullos honores sibi nisi verborum, decerni passus est; statuas, fana, arcus prohibuit, nec fuit in ulla re alia molestus civitatibus. Erga omnes ita affabilem se praestitit, ut aditus ad eum minime provinciales dicantur, neque quidquam per cubicularium ageret. Ante lucem enim inambulabat domi, ut olim candidatus, quae grata et magna habebantur, ei autem nondum laboriosa „ex illa vetere militia“ (ad At. VI. 2). Conferatur quod a Plutarcho Ciceronis vita conscriptum legimus (c. 36): *καὶ δῶρα μὲν οὐδὲ τῶν βασιλέων διδόντων ἔλαβε, δείπνων δὲ τοὺς ἐπαρχικοὺς ἀνῆκεν, τοὺς χαρίεντας ἀνελάμβανεν ἑστιάσεσιν, οὐ πολυτελῶς ἀλλ' ἐλευθερίως — Λέγεται δὲ μήτε ῥάβδοις αἰκίσασθαί τινα μήτ' ἐσθῆτα περισχίσαι, μήτε βλασφημίαν ὑπ' ὀργῆς ἢ ζημίας προσβαλεῖν μεθ' ὕβρεων.*

Postquam in universum qua ratione Cicero in provincia administranda usus sit, demonstravimus, restat ut specialiter de jurisdictione loquamur, quam quidem illum juris peritissimum optime exercuisse conjeceris. (ad Att. VI. 2) Notum est provinciae praefectum et publicam et civilem habuisse jurisdictionem, ex quibus jus civile partim lege ab eo data, qui primus provinciam in potestatem p. R. redegerat, partim edicto a

68) Ad Att. V. 21 non *ὑπερβολικῶς* sed verissime loquor cf. ad Att. VI. 2.

praeside, simulatque in provinciam venit, proposito dicebatur [69]). Ciceronis edicti summam epistola I. lib VI ad Atticum comperimus, nonnulla tamen aliis locis per occasionem commemorata sunt [70]). Multa sumpserat ex Q. Mucii Scaevolae edicto, qui a. 98 propraetor Asiam provinciam bene rexisset [71]), in quibus illud, in quo sibi libertatem censebant Graeci datam, ut inter se disceptarent suis legibus. Aliam rem ex Appii edicto transtulit, quae ad sumptus publicos urbium deminuendis attinet. Ceterum breve fuit edictum Ciceronis propter hanc ejus dispositionem: (*διαίρεσις* ad Att. VI. 1) duobus generibus edicendum putavit, quorum unum fuit provinciale, in quo fuit de rationibus civitatum, de aere alieno, de usura, de syngraphis, in eodem omnia quoque de publicanis: alterum, quod sine edicto satis commode transigi non poterat, de hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciendis, vendendis. De reliquo jure se sua decreta ad edicta urbana accommodaturum esse dixit.

Provincia Cilicia jam a Pompejo in dioeceses juris dicendi causa divisa erat, quae singulis partibus, ex quibus provincia constabat, conveniebant. In quarum capitibus proconsul conventus agebat, unde illae dioeceses ipsae conventus vocati videntur (cf. Becker-Marquardt III. 166). In Cilicia Ciceronis quidem tempore octo fuerunt conventus, quorum primum locum tenuit Tarsus, quae caput Ciliciae jure nominata est (Cic. ad fam. II. 17 ad Att. V. 20). Qua in urbe ut jam antea

---

69) In provincia Cilicia P. Servilius primam legem promulgasse videtur (Cic. ad Att. VI. 1) quam postea Pompejus immutavit, cf. Cass. Dio. XXXVII. 20 *τά τε πλείω ἔθνη τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ τῇ ἠπείρῳ τότε αὐτοῖς ὄντων, νόμοις τε ἰδίοις καὶ πολιτείαις κατεστήσατο* (Pompejus) *καὶ διεκόσμησεν ὥςτε καὶ δεῦρο αὐτοὺς τοῖς ὑπ' ἐκείνου νομισθεῖσι χρῆσθαι.* cf. Becker-Marquardt III. p. 244.)

70) cf. Drumann VI. p. 135.

71) cf. Bergmann in Philol. II. 650.

proconsules Ciliciae jurisdictionis exercendae causa saepe morati erant, ita Cicero semel plus in foro egit, primum quum mense Octobri in Ciliciam venisset, qua usque pridie Non. Jan. versatus est „admiratione Ciliciae civitatum maximeque Tarsensium" (ad Att. V. 21) deinde mensibus Majo et Junio. Secundus conventus Lycaoniae fuit Iconium, qua in urbe Cicero per decem dies mensis Sextilis jurisdictionem exercuit. In Isauriam et Pamphyliam, quae tertiam et quartam dioecesem effecerunt, quum aliis inferiores haberentur, proconsul ipse nunquam fere venit, incolis litem agentibus jussis in aliquem Phrygiae conventum se conferre [72]). Itaque comperimus Ciceronem Laodiceae mense Februario Pamphylium et Isauricum forum egisse. Maxima autem dioecesis fuit Cibyratica, cujus caput Laodicea ad Lycum prope Cariae fines situm erat [73]), postea enim non minus viginti quinque urbes complexa est, (Plin. h. n. V. 29) neque quidquam obstat, quin tantum numerum jam Ciceronis tempore fuisse sumamus. Laodiceae, ubi brevi post tempore, quum provinciam intravisset, commoratus est, „perillustris fuit honorificisque verbis omnes injurias revellit superiores" (ad Att. V. 20). Duae aliae dioeceses Phrygiae, de quibus jam saepius locuti sumus, Apamea et Synnada fuerunt, quorum altera quindecim urbes altera unam et viginti continebat (Plin. ibid.). Praeterea Cyprus provinciae Ciliciae tradita est, in quam insulam proconsul, quum ipse nunquam eo proficisceretur, Q. Volusium, certum hominem, mirifice etiam abstinentem, misit, ut ibi pauculos dies esset, ne cives Romani pauci,

---

72) In libro Beckeri III. p. 167 legimns Philomelium in Phrygia situm Isauriae conventum fuisse (cf. ad fam. XV. 4) quam sententiam sequimur cum Isauria Pisidiam conjungentes, in qua regione conventus proprius a Cicerone non traditur.

73) Strabo XIII. 631 οὐδὲν δ᾽ ἧττον ἐν ταῖς μεγίσταις ἐξετάζεται διοικήσεσι τῆς Ἀσίας ἡ Κιβυρατική.

qui illic negotiabantur, jus sibi dictum negarent (ad Att. V. 21).

Magnam partem provincialium, quotcunque quidem in urbibus habitabant, Graecos fuisse initio hujus libelli monuimus. De quibus constituit, ut sua quisque negotia ita explicaret; ut civitates se αὐτονομίαν adeptos putarent (ad Att. VI. 1) qua re tamen cave, illas liberas, quae vocantur, urbes fuisse credas, quarum in Cilicia tunc ne una quidem fuisse traditur. Quae quum ita essent, civitates omnes, suis legibus et judiciis usae revixerunt, multae omni aere alieno liberatae, multae valde levatae sunt. Duae autem res fuerunt, quibus civitatibus facultas ad se aere alieno liberandas daretur, una, quod omnino nullus in imperio ejus sumptus factus est, qua re sola, profecto mirabili, effecit, „ut incredibile esset, quantum civitates emerserint" (ad Att. VI. 2). Accessit altera. Mira enim erant in civitatibus ipsorum furta Graecorum, quae magistratus fecerant, qua re cognita Cicero quum de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant, quaesivisset, rem eo produxit, ut peccatum aperte confessi sine ulla ignominia pecunias populis referrent. Qua re perfecta populi sine magno labore publicanis, quibus per quinquennium nihil solverant, etiam superioris lustri debita reddiderunt, itaque Cicero jure dixisse videtur (ad fam. II. 13) „civitates locupletavi et conservavi: offensus contumelia nemo, decreto justo et severo perpauci, nec tamen quisquam, ut queri audeat" (cf. ad Att. VI. 3).

Reliquum est, ut quomodo Cicero in publicanos se praestiterit, breviter quaeramus. Quia enim publicanorum ordo tum multum valebat, perpauci fuerunt provinciarum praesides, qui, ut publicanos sibi reconciliarent, injurias quam maximas non facerent. In eorum numero Cicero habendus est, quem id potissimum semper sequentem vidimus, ut integritatem suam conservaret. Jam priusquam provinciam intraret, publicani Sami et Ephesi

petierant, ut sibi indulgeret, ex quo ipse intellexerat „multorum annorum ostentationes suas in discrimen esse adductas“ (ad Att. V. 13) tamen speraverat, se omnibus satis facturum, et eo facilius, quod in provincia pactiones jam confectae essent. De publicanis quid egerit, optime ex prima epistola lib. VI. ad Atticum cognoscimus, ubi haec invenies: „habeo in deliciis, obsequor, verbis laudo, orno; efficio ne cui molesti sint. Illa jam habent pleno modio, verborum honorem, invitationem crebram. Quid plura? sunt omnes ita mihi familiares, ut se quisque maxime putet, sed tamen μηδὲν αὐτοῖς [74]). Haec verba Ciceroni adversarios vitio vertisse facile credis (cf. Drumann VI. 139 s.), cogitandum vero est, illo tempore (704 a. u.) factionibus in republica ortis neminem eorum, qui rempublicam gubernabant, aut in urbe aut in provincia, nullius ratione habita, aliquid agere potuisse. Altera causa cur multi Ciceronem reprehenderint, ea fuit, quod is, qui, ne homines suae provinciae a publicanis premerentur, maxime studebat, tantum verecundiae habuit, ut quosdam sibi amicos Asiae et Bithyniae propraetoribus commendaverit. Ut exemplum afferam, Thermum, Asiae propraetorem (ad fam. XIII. 57) rogat, ei curae sit, ut negotium, quod habeat M. Annejus legatus cum populo Sardiano pro causae veritate et pro sua dignitate conficiat. Quid autem injusti in hac re? Nonne in sua ipsa provincia Cicero magnam diligentiam adhibuit, ut equitibus Romanis pecuniae, quas provincialibus foenori dederant, redderentur? sed ita, ut debitores neutiquam vexarentur. Pompejo etiam pro socio quodam petenti negavit, se

74) Haec verba Wielandius ita interpretatur (III. 511 n. 14). Dech ist dafür gesorgt, dass sie nicht übermüthig werden. cf. ad fam. XIII. 9 ad Crassipidem quaestorem Bithyniae: id cum mihi gratissimum feceris tum illud tibi expertus promitto et spondeo, te socios Bithyniae, si iis commodaris, memores esse et gratos cogniturum.

cuiquam in provincia negotianti praefecturam dare (ad Att. V. 21) quippe quod timeret, ne creditor potestate, quam accepisset, ad provinciales vexandos uteretur. Senatores quoque quos in provincia foenerandi causa commorari cognoverat, invitus tulit, tamen coactus est ut iis, quum a senatu legationem liberam accepissent, lictores daret, qui tunc apud omnes provinciarum praesides mos fuit [75]). Deinde maximae ei curae fuit, ne plus usurarum, quam in edicto, de quo supra diximus, decrevisset, penderetur, edixerat autem, ut in tota provincia creditores singulas centesimas solas acciperent, quod modicum nobis videbitur, quum audiverimus, M. Brutum quaternas postulasse (ad Att. VI. 2). Jam supra, ubi de Appii administratione egimus (cf. p. 19) docuimus, quanta crudelitate Scaptius in Salaminios Cyprios usus sit; Cicero autem, quo die provinciam tetigit, quum ei Cyprii legati Ephesum obviam venissent, litteras misit, ut equites, quos Appius Scaptio dederat, ex insula statim decederent. Neque ulla re postea Scaptium ulterius juvare voluit quam fas erat, quamquam certo scivit, Brutum, cujus procurator Scaptius erat, magnopere iratum esse [76]), neque eum id movit, quod Atticus ei amicissimus eum rogaret, ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam daret. Qua de re quae Cicero Attico scripsit, digna videntur, quae commemoremus. „Ain' tandem Attice, inquit, laudator integritatis et elegantiae, ausus es hoc ex ore tuo? id me igitur tu, cujus mehercule os mihi ante oculos solet versari, cum de aliquo officio ac laude cogito, tu me, inquam, rogas, praefectus ut Scaptius sit? — nimis, nimis, inquam, in

75) Ad fam. XIII. 21 idque a te peto, quod ipse in provincia facere sum solitus non rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem, quod idem acceperam et cognoveram a summis viris factitatum.

76) Ad Att. VI. 1 accipiam, inquit, equidem dolorem, mihi illum irasci, sed multo majorem non esse eum talem, qualem putassem.

isto Bruutm amasti, dulcissime Attice: nos vereor, ne parum.“ Quum igitur Cicero neque Salaminios cogere nollet, ut plus quam deberent, penderent, neque Brutum magis etiam irritare, illam rem in medio totam reliquit, ex quo quidem cognosces, Ciceronem virum audacem et fortem non fuisse, nam ei satis erat, se integrum esse, quamquam bene scivit, Salaminios in eadem conditione atque antea futuros, simulac provincia decesserit.

His relatis jam narrandum est, qua conditione, Cicerone Ciliciam obtinente, reges provinciae finitimi usi sint, inter quos illustrissimi Dejotarus rex Galatarum et Ariobarzanes rex Cappadociae fuerunt. Qui quamquam regna eorum a Romanis in provinciarum formam nondum redacta erant, tamen ex Ciliciae praefecti arbitrio ita pendebant, ut eum quotiescunque imperabat, copiis adjuvare omniaque quae mandaret, facere deberent (ad fam. XV. 2). Praefecto Romano autem, quum aliquid ex senatu illis mandandum haberet, reges ad se arcessere licebat. Ab Ariobarzane Cicero contendit, ut solveret ea quae equitibus Romanis debebat, M. Scaptio etiam et L. Gavio, qui in regno rem Bruti procurabant, praefecturas detulit, quippe quod in provincia ipsa non negotiarentur. Cappadociae rex, cujus pater Tarcondimotus I regnum a Pompejo magna modo pecunia soluta acceperat, aere alieno ut ita dicam obrutus, a Pompejo ita premebatur, ut ei tricesimo quoque die ex tributis talenta Attica triginta tria solveret, neque satis erat ad solvendam usuram menstruam. Aliis neque solvit cuiquam neque potuit solvere, nullum enim aerarium, nullum vectigal habuit. Ut Ciceronis verbis utar, nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius! (ad Att. VI. 1.) Huc accedit, quod in regno ipso dissensionibus civilibus ortis multi erant, qui regi insidiarentur, quibus insidiis eum necopinantem Cicero liberavit, neque solum ei saluti fuit, sed etiam curavit, ut cum auctoritate regnaret (ad fam. XV. 4). De Ario-

barzane, ex cujus regno multum abfuit, ut Cicero aliquid sibi sumeret, conferas illam epistolam jam a nobis illatam (ad Att. V. 20), qua quoque Ciceronis integritatem cognosces: „Ariobarzanes opera mea vivit (cf. ad fam. XV. 2), regnat; *ἐν παρόδῳ* consilio et auctoritate et quod insidiatoribus ejus *ἀπρόσιτον* me non modo *ἀδωροδόκητον* praebui, regem regnumque servavi, interea e Cappadocia ne pilum quidem.“

In meliore quam Ariobarzanis conditone Dejotarus rex Galatiae fuisse videtur, quem non solum tetrarcham opulentissimum fuisse, sed copiis etiam multum valuisse supra vidimus (cf. p. 26. 27), itaque factum est, ut Ciceroni cum Dejotaro, in cujus copiis maximam spem posuisset, quum bene conveniret tum familiaritas inter utrumque esset. —

Quum igitur Ciceronis administratio qualis fuerit, ex omnibus partibus consideravimus, facere non possumus, quin egregiam et summa laude dignam fuisse contendamus, eoque magis, si in memoriam revocaverimus quam invitus ille in provinciam profectus sit. Exsistit autem hoc loco quaestio subdifficilis, quae causae fuerint, quibus commotus Cicero provinciam tam bene rexerit? Pessimas videlicet fuisse Drumannus tradidit, quum sententiam suam exponat (VI p. 141.) „Cicero leitete die Rücksicht auf seinen Ruf, er wollte als Statthalter durch eine beispiellose Uneigennützigkeit und Gerechtigkeit glänzen, man sollte ihn loben, bewundern, anstaunen. Seine Tugend wurzelte nicht in dem Abscheu gegen das Unrecht, nicht im Mitleiden gegen Unglückliche und nicht in der Liebe znm Vaterlande, sie hatte mit den Vergehen der Grossen, über welche er sich in der äussern Erscheinung so sehr erhebt, eine und dieselbe Quelle in der Selbstsucht, jene verlangt nach Gelde ihn nach Ruhm“ quam sententiam multi probaverunt, quoniam ostentationem et gloriae laudisque cupiditatem Ciceroni maxime proprias fuisse inter omnes constat,

et nobis etiam concedere necesse est Ciceronis, ut famae serviret, nimis interfuisse eumque abstinentiam suam plus aequo praedicasse. Quae quum ita sint, tamen notandum est, illud inprimis in epistolis ad Atticum scriptis inveniri, quocum jam antequam Roma decederet, de provinciae administrandae ratione deliberasset, et quem Ciceronem, quum in provincia esset, saepe hortatum esse scimus, ut officii nullam partem desereret[77]. Hoc igitur semper recordari debemus, si de iis, quae a Cicerone scripta sunt, recte judicare volumus. Exempli causa epistolam primam lib. VI ad Atticum afferemus, in qua legimus: „noli me putare ἐγκελεύσματα illa tua abjecisse, quae mihi in visceribus haerent; fleus mihi meam famam commendasti, quae epistola tua est, in qua mentionem non facias, itaque irascatur, qui volet.“ Magni autem momenti mihi videtur ad Ciceronis mores cognoscendos alius locus in ep. 20 lib. V ad Att.: „Nec jam ego hanc continentiam appello, quae virtus voluptati resistere videtur. Ego in vita mea nulla unquam voluptate tanta sum affectus, quanta afficior hac integritate. Nec me tam fama, quae summa est, quam res ipsa delectat.“ Quibus verbis quid clarius significare potest Ciceronem re ipsa et studio honesto non ostentatione gloriaeque cupiditate sola commotum esse, ut provinciam bene, probe, honeste administraret[78]. Neque id probandum est, quod nonnulli videlicet Ciceronis adversarii tantum odium prae se ferunt, ut non longe absit, quin illum pecula tus vel erpetundarum accusent, quamquam nullo modo demonstrari potest, „fructus provinciae“ a(d fam. II 12) ab eo in-

77) Cf. ad Att. V 20 quod me maxime hortaris et quod pluris est quam omnia, in quo laboras, moriar, si quidquio fieri elegantius.

78) Cf. ad Att. V 21 nos enim et nostra sponte bene firmi ci mehercule auctoritate tua inflammati vicimus omnes abstinentia, justitia, facilitate, clementia. cf. F. Ritschl „Auch ein Wort für Cicero“ Rheinisch. Museum n. F. 11. a 1856. p. 477—480. Bunsen Aegypten I p. 194 ss.

juste perceptos esse[79]). Fructus quanti fuerint, ex epistola ad Att. lib. XI 1: ego in cistophoro in Asia habeo ad H. S. bis et vicies, de qua re non admiraberis, si tibi in mentem venerit quantae manubiae in provincia factae sint.

Quamquam igitur ex provincia administranda non parvum lucri fecerat, tamen maximo desiderio Romam redeundi affectus videtur, qui „omnes fructus provinciae non contulerit cum una ambulatiuncula atque uno sermone inter amicos" (ad fam. II 12.) Tandem tempus appropinquavit, quo ei per senatus consultum liceret provinciam relinquere, qua re nihil vehementius concupivit, ut etiam dies, quos adhuc in provincia maneret necesse erat, numerasse dicatur (ad Att. VI 5.) Antequam autem provincia decederet, maximae ei curae fuit, quem, quum Roma nemo successor missus esset, provinciae praeficeret. Nam Pomptinus legatus, quem virum belli gerendi peritissimum supra docuimus, multo ante discesserat, neque Q. fratrem relinquere placuit, quod, si relictus esset, dicerent iniqui, non Ciceronem de provincia decessisse, quoniam alterum Ciceronem reliquisset. Fortasse etiam illud adderent, senatum eos

79) V. Drumann. VI 144. Es bewiesen ihm die Staatspächter ihre Erkenntlichkeit — ferner vergalten ihm nicht weniger die Gemeinden, die er von ihren Schulden befreite und die reichen Städte, wenn er nicht sie sondern andere mit der Einquartirung belästigte." Testimonium profertur epistolae ad Att. V 21 locus, cujus jam supra quum de Appii administratione egimus, mentionem fecimus „civitates locupletes ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dabant" quae verba ad Appium solum pertinere manifestum est, praesertim quum paullo ante legamus „illud autem tempus quotannis „ante me" fuerat in hoc quaeste-me obtinente nullus nummus erogabitur." Alium autem ejusdem epistolae locum, haec verba: „nullos honores mihi nisi verborum decerni sino, statuas, fanas τέθριππα prohibeo, Drumannus — nescio qua de causa — ita interpretatus est: Es folgt daraus nicht, dass jede Aeusserung ihrer Dankbarkeit verpönt war!"

voluisse provinciis praeesse, qui antea non praefuissent, Q. fratrem autem Asiam per triennium administrasse (ad fam. II 15.) Itaque factum est, ut Coelium quaestorem, adolescentem nobilem, qui Mescinii loco quaestor designatus erat, provinciae proponeret. Et sane periculosum fuit, quum Parthi iterum impendere viderentur, adolescentem et hunc parum peritum in provincia relinqui, tamen Coelio praeter fratrem neminem sine contumelia anteferre potuit, cui rei accessit, quod illo tempore usitatum fuit, quaestori, dum successor veniret, tradere provinciam. A. d. III. Cal. Sext. C. Coelio provincia traditur. Antea autem constituit, ut Mescinius Laodiceae de administratione rationem redderet, cujus duo exempla secundum legem Juliam[80]) apud duas civitates nobiles Laodiceae et Apameae relinqui jussit. Pecunias quoque, quae ex provincia rei publicae collegerat, Laodiceae deposuit, qnum timeret, ne quid itinere amitteret (ad fam. II 17.) Praeterea, qunm hoc rectum et gloriosnm putaret (ad Att. VII 1) ex annuo sumtu, qui ei decretns erat, C. Coelio quantum pro anno opus erat, dedit, reliqna in aerarium retulit, ad decies H. S., quam rem cohors Ciceronis aegerrime tulit, omnem, illam summam sibi distribui oportere putans. Quibus rebus factis Cicero ipse per Ciliciam in Pamphyliam profectus a. d. III Non. Sext. Sidae navem conscendit, ut Rhodum se conferret.

Haec de administratione Ciceronis! Reliquum est, ut de trinmpho, ab illo propter res in Amano gessas petito, breviter dicam. Notum est priusquam triumphus daretur, opus fuisse, ut senatus supplicationem decrevisset, itaque Cicero primum omni modo laboravit et contendit, ut supplicatio sibi decernetur. Neque facere possumus quin dicamus Ciceronem in hac re nobis

80) Conf. ad fam. II. 17. ad Att. VI. 7. Becker - Marquardt III 282. s.

perridiculum videri. Nil enim intentatum reliquit, ut familiares urbanos sibi conciliaret, qui rem suam adjuvarent. Qua in re qualem se praestiterit ex illa epistola ad Catonem (ad fam. XV. 4) intelliges, ubi eo processit, ut philosophiam ipsam quasi adjutricem rogationis allegaret. Quid autem dicamus, quum fine illius epistolae hos legerimus: philosophia, qua nec mihi carior ulla unquam res in vita fuit, nec hominum generi majus a diis munus illum est datum — tecum agit de mea laude, cui negari a Catone fas esse non puto. Quamobrem tibi sic persuadeas, velim: si mihi tua sententia tributus honor ex meis litteris fuerit, me sic existimaturum mihi, quod maxime cupierim, contigisse." Quibus verbis Cicerone profecto haud dignis Catonem minime permotum esse, facile credes, neque ipse supplicationem decernendam esse censuit, quam tamen Ciceroni datam esse epistola 5 lib. XV. ad fam. comperimus, triumphus autem supplicationem non secutus est [81]).

81) Cf. Drumann. VI. 159 — 165, 187 ss. et Wieland III 348.

Vita.

Natus sum ego Rudolphus Guilielmus Preuss, evangelicae confessioni addictus, anno h. s. XXXVI prid. Non. Februarias Regimonti, matre dilectissima Henrica et patre optimo Danielo Preuss, laniorum collegii socio, quem quum undecim annos natus essem, vita decessisse magnopere doleo. Regimonti primis litterarum elementis imbutus in schola ea quae etiam nunc sub rectore humanissimo Winkler floret annum et dimidium scholam civicam in arce sitam, directore ill. Buettner, frequentavi, deinde a directore ill. Ellendt quartae Gymnasii palaeopolitani classi adscriptus sum. Septimum post annum maturitatis testimonio accepto anno h. s. LV prorectore magnifico, professore ill. Simson in numerum civium Academiae Albertinae receptus sum, quo ex tempore imprimis historicis litteris me tradidi, qaibus jam diu praeter cetera studueram. Itaque exercitationum, quas prof. ill. Schubert in historico seminario dirigit, particeps factus, per annos quatuor seminario interfui atque ex animi sententia dico me ex illis exercitationibus magnum fructum percepisse. Praeterea profess. ill. Drumann,

Giesebrecht, Schubert, Voigt me varias historiae partes docuerunt. Sed philologicis quoque studiis et philosophiae, quantum quidem potui, operam dedi, imprimis in scholis profess. ill. Friedlaender, Lehrs, Rosenkranz. Quibus omnibus viris neque minus illis, qui antea in gymnasio me litteris instituerunt, tanquam optime de me meritis, hoc loco gratias ago quam plurimas: summam benignitatem et benevolentiam, quas erga me habuerunt, pergrata memoria semper prosequar.





